



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Hydra Prophanarum Novitatum, Sive Descriptio
Historico-Theologica causarum principalium omnium
irrepentium Hæreseon ac Schismatum: unàque Generalis
earundem prophanarum Novitatum confutatio**

Alexander <a Sancta Theresia>

Coloniæ Agrippinæ, 1684

Cap. X. Auditio sermonum, ac lectio librorum hæreticorum est causa
prophanæ Novitatis, seu hæreseos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35361



CAP. X. HYDRÆ.

Auditio sermonum, ac lectio librorum Hæreticorum est causa prophanae Novitatis, seu Hæreseos.

OMnis interior animi motus ac affectio, humanitus acquisita, ab exteriori sensu ducit initium, ut enim vulgata Philosophorum habet paroemia, nihil est in intellectu, corpori alligato, quod prius non fuerit in sensu. Unde objectum bonum, sensu perceptum, bonæ animi affectionis est occasio ac illicium, malum è contra pravi ac perversæ: tanti interest quid quis audiat, videat, aliove sensu percipiat. Hinc S. Basilus, *pravius*, inquit, *assuescere sermonibus, via quadam est ad rem ipsam*: Hæreticis proinde assuescere sermonibus sive voce pronuntiatis, sive calamo paratis, via est ad hæresim ipsam, quemadmodum, Apostolo docente, (a) *Fides ex auditu*, ita & ex auditu hæresis: & universim vita & mors intrant in animam per fenestras sensuum, vita, sive fides ac pietas per auditum ac lectionem sermonum, librorumque piorum, ac Ca-

a Rom. 10.

tholicorum, mores, seu impietas ac hæresis per
indiscretam auditionem ac lectionem sermo-
num ac librorum impiorum & Hæreticorum:
si enim libri Catholici Orthodoxa doctrinâ
ac pietate pleni ad fidei constantiam & piera-
tem addant calcar, etiam libri Hæretici incau-
tos lectores inducent ad hæresim: quò spe-
ctat illud Prophetæ Regii: (a) *Cum Sancto* a Psal. 17.
sanctus eris, & cum perverso perverteris. Nec
non istud Apostoli: (b) *Corrumpunt mores bo-* b 1. Co-
nos colloquia mala. Cum igitur consuetudo, rinth. 13.
convictus, ac colloquia cum hominibus per-
versis pervertant hominum mores, efficacius
tamen id præstat perversorum librorum incau-
ta lectio: licet enim verba efficacius mo-
veant, vehementius trahant, celeriusque ra-
pant quàm Scriptura, eò quod viva vox acu-
tius animum penetret: tamen ea quæ scribun-
tur, cum ex longa proveniant meditatione, me-
lius sunt digesta, accuratiusque coordinata,
quàm quæ voce ex tempore plerumque profe-
runtur; ideoque efficacior nonnumquam est
Scriptura quàm vox.

Quò verò efficacius curiosi alliciantur ad
Hæreticorum librorum lectionem, certiusque
incauti circumveniantur, solent Authores eo-
rundem illos quodam verborum splendore,
eloquentiâ, ac sublimi stylo adornare, & la-
tentes in eis hæreses specie quadam pietatis, &
sententiis ex sacris Litteris detruncatis, velut
aquis paleis, melleque venenum tegere & oc-
cultare:

a Collof.
2.

cultare : Unde monet Apostolus : (a) *Hu-
antem dico, ut nemo vos decipiat in sublimitate
sermonis. Quod exponens Theophylactus
subdit : Nemo vos decipiat verborum lenocinio
& sublimitate, ornatu scilicet & comitate, &
elegantia quadam dicendi. Quid enim si adse-
rat quispiam quæ ad persuadendum plurimum
valeant, ipse verò sit omnium prorsus, id est, ve-
ritatis ignarus ? Id sanè nihil est aliud, nisi ca-
piunculis quibusdam & sophismatibus mi-
-*

b Rom. 16.

(b) Monet idipsum Apostolus alio loco, ubi,
postquam Romanis ab Hæreticis cavendum
præcepisset, adjungit de ipsis Hæreticis : *Per-
dulces sermones, & benedictiones seducunt cor-
da innocentium. Unde Origenes : (c) Sape,
inquit, vidi aureum calicem in pulchro sermo-
nis ornatu, & dogmatum venena considerans
deprehendi calicem Babylonis. Fucò igitur e-
loquentiæ, specieque pietatis, ut jam osten-
dam, Novatores adulterinas suas doctrinas
divenditant, simpliciumque animis instillant :
Nam serpens ille sub pulchris illis (ut prima
fronte videntur) Hæreticorum Scriptorum
floribus latens, ubi oculos ad legendum pel-
lexerit, virus suum animis statim tacitè afflat,
producta enim eorundem lectio sensus judi-
ciumq; corrumpit in iis, qui firmæ constantiq;
fidei antidoto non præmuniti res tam pestife-
ras tractare non verentur. Rudis enim mala-
rum artium tendicularumque Hæreticarum
Lector, in hujusmodi libris nihil frequentius
quàm*

c Hom. 2.
super
Hier.

quàm Jesu Christi, quàm Salvatoris, quàm Domini nostri nomen, quàm fidem, fiduciam in Deo meritisque Christi, ac charitatem inculcatam videns, veram in eis fidem, meramque sanctitatem contineri statim arbitratur, atque inde mirifico lectionis studio magis magisque incenditur: nihil interim memor, nihil tam sacrum, nihil tam divinum esse, quo malignus spiritus non abutatur: ut in chartis superstitionis indies videre licet, in quibus cum signis sanctæ Crucis, sacrisque nominibus, alia abominanda nomina & signa permiscantur. Non perpendens etiam, nullam tam abominandam esse, hæresim quæ aut nomine Christi, aut simulatâ pietate non pallietur; hæc quippe esca illa est, quâ homines curiosi & incauti à dæmone non aliter quàm hamo pisces capiuntur.

Cunctis igitur Catholicis indiscreta Hæreticorum librorum lectio existit exitialis: ac in primis juvenus hujusmodi laqueis irretitur, capiturque facilius, utpote in cujus animis experientiæ longæ defectu, certa ac firma aliqua veritatis cognitio, & veritatis à falsitate discretio non egit radices: externam enim illam & artificiosam orationis structuram admirati, nondum maturo ad judicandum his de rebus, quæ sub verbis latent judicio, facilè se impelli ac seduci patiuntur: est quippè juvenalis animus quasi cereus quarumcumque rerum characteres ac figuras, quæ imprimuntur,

tur,

^a Lib. 7. de
hæres. cap.
21. p. 5.

tur, facile recipiendi, quò autem semel est im-
buta recens, servabit odorem testa diu. (a) Un-
de refert Floremundus Remundus Calvinis-
tas in Gallia primæ Academicam juventutem
seduxisse, & per eam hæresim fuisse fundatam,
&, sparsis per scholares hæreticis libellis, pro-
pagatam: & quia historia admodum est nota-
bilis, præsertim parentibus, ut diligenter cir-
cumspiciant, quibus Magistris proles suas tra-
dant erudiendas, ideò operæ pretium duxi
eam hic adscribere. „ Vernovius, Calvini
„ discipulus, Pictavii mansit, ut inter Acade-
„ micam juventutem, ad credendum naturā
„ facilem, & novarum rerum cupidam, doctri-
„ næ suæ zizania disseminaret. Tam hic verò,
„ quàm reliqui illud imprimis agebant, ut
„ Professores & Rectores juventutis ad suas
„ partes adjungerent: non ignari, quemad-
„ modum prostrato Imperatore facilis ple-
„ rumque est victoria; sic his veluti juventu-
„ tis devictis Ducibus, facile gregarios illos
„ milites ductum illorum & auspicia sequi
„ solitos, manus quoque præbituros. Et qui-
„ dem ille quem Boni viri nomen assumpsisse
„ diximus, Aginni Rectorem quendam scho-
„ lasticæ juventutis, suarum parvium obru-
„ sit, qui primus Calvinismum ibi, licet rectè,
„ docuit. Mox huc illuc alii circummissi
„ sunt, qui hac potissimum ratione, corruptis
„ nimirum Præceptoribus, perniciosæ suæ do-
„ ctrinæ virus scholasticæ juventuti instillare
sata-

fatagerunt. Memini Burdigalæ ex horum,,
numero, sed inferioris subsellii Pædagogum,,
aliquem, consuetudinem illam quâ initio,,
lectionis cruce se quisque signare solet, tam-,,
quam ineptam & similiis potius convenien-,,
tem irrississe; deinde privatim capita quæ-,,
dam novæ religionis veluti per ludum & jo-,,
cum inculcasse. Quâ arte quid mirum si ani-,,
mos adhuc tenellos facilè subegerit? ,, Nam

*Quo semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu.*

Quemadmodum videmus, ea quæ prima a-,,
nimis pueritiæ impressa sunt, difficillimè ubi,,
vel paululum radices egerint, evelli. Ut enim,,
oculi maligni vel aspectus quoque ad ipsum,,
infantium cor facilè penetrat, eique virus,,
quodammodo affundit; sic teneri juventutis,,
animi hæreseos aconito facilè intoxicantur,,
nisi bonis remediis præservativis, ut vocant,,
muniti sint. Ethoc quidem modo, ut ad,,
propositum redeam, à Calvino missi Mer-,,
curii in in duabus illis Academiis, Tosolana,,
scilicet & Piæstaviensi, plurimum damni de-,,
derunt. Quid verò hoc mirum in juvenibus,,
quibus sanguis calet, & animus futuri im-,,
providus & periculi securus, cæca tam nova-,,
rum rerum quàm falsæ libertatis cupiditate,,
flagrat? Quid gratius his prædicari poterat,,
quàm à carniū esu etiam diebus vetitis non,,
absti-

„ abstinendum, non jejunandum, non peccatorum exomologesin apud Sacerdotem esse faciendam? Et alioqui ita comparatum est, ut nova etiam quaecumque magis placeant, quam usitata. Quocirca minus miror, non paucos nova hæc dogmata ita mordicus fuisse amplexos, ut etiam imberbes ferè adhuc tam corporis quam animæ jacturam facere maluerint, quam hæresi renuntiare. Adeo scilicet perversus ille spiritus animos illos teneros fascinaverat. Et hi quidem, ut est ætas illa, ubi semel frænos ruperit, ad quidvis audendum projecta, primi famulos contra Ecclesiam libellos templorum valvis affixerunt, fores effregerunt, statuas dejecerunt, baptisteria foedissime conspurcarunt, mille denique insolentias, noctu præsertim, vel sacrilegia potius, commiserunt. Decretum est etiam, ne cui scholarium, qui veritatis cognitionem haberet (hujus enim prætextu tamquam clypeo utebantur) sine ministrorum licentia domum discedere liceret. Discedentes verò ab iisdem copiosè instruebantur, quomodo domi & alibi passim se gerere, & quas divini Verbi, scilicet, amplificandi rationes inire deberent. Ne verò necessaria ad hanc rem desissent subsidia, multis libellis partim contra Ecclesiasticos diffamatoriis, partim fortiusculas quasdam precandi, & novæ fidei capita continentibus, emissarii illi instructi fuerunt.

fuerunt. Francisci I. enim & Henrici II. ,
 temporibus libelli illi Catechist, qui postea ,
 regnante Francisco II. tanto numero in pu- ,
 blicum evolarunt , clanculum tantum cir- ,
 cumferebantur. Dicitur verò vix potest , quam ,
 latè pestis hæc inter Gallicam juventutem ,
 per totum ferè regnum brevi tempore pro- ,
 serpsit, aliis alios inficientibus, dum quis- ,
 que novæ illius religionis secreta expiscari ,
 conatur. Videre erat passim textores, suto ,
 res, sartores, fullones, institores, vel clam ,
 vel palam etiam ad populum de verbo Dei ,
 uti jactabant, declamantes, & novas fundan- ,
 tes Ecclesias. Satis illis erat, si novum Te- ,
 stamentum vulgari lingua legere, & inepris ,
 quibusdam ratiunculis Catholicorum do- ,
 gmata impugnare, & in dubium revocare, ,
 omnia denique suo more explicare possent. ,
 Ecce ex quam tenuibus initiis ad tantam ma- ,
 gnitudinem progressa sit hæresis! ,

Quod Calvinicolæ, idipsum sparsis libellis
 machinati sunt Lutheri emissarii ad suam etiam
 hæresim in Gallia disseminandam, de qui-
 bus hæc narrat laudatus Floremundus. , (a) *2 Lib. 7. c. 5. n. 1.*
 Neque enim eo contenti, quod passim per to- ,
 tum regnum libellos suos Latinâ & Gallica ,
 lingua scriptos disseminassent, etiam in secre- ,
 tius Regis conclavè, pueri cujusdam, qui ,
 Myropolæ Regio, Ferreto nomine, inser- ,
 viebat, ad id opera abusi sunt, complusculas ,
 scedulas & chartas intulerunt, imò in ipso ,

cœnaculo sparserunt. Quid opus pluribus?
 Omnes hæresiarchæ hac callida libellorû sparsione hæresim suâ fundarunt ac propagarunt.
 Cum igitur Hæretici & juventutis depravatione, & libellorum emissionem errores suos instillent ac divulgent, inexcusabilis inprimis est eorum Catholicorum parentum levitas & incuria, imò crudelitas, qui proles suas Magistris Hæreticis, aut de hæresi suspectis, in litteris, aut alia arte tradunt instruendas; quid enim hoc est aliud quàm lupis committere agnos, & quorum genuerunt corpora, eorum enecare animas: satius sanè millies foret rudes & inopes educare cœlo, quàm Magistros aut Doctores reservare inferno, quod verosimillimè fit, dum tenera & improvida juvenus diuturnum tenet cum Hæreticis Magistris convictum, non enim inquietus ac turbulentus Hæreticorum animus eas silere sinit, aut virus contrinere, sed quamvis cum Catholicis nacti tractandi occasionem, mox in suæ sectæ erumpunt laudes, in Catholicæ verò fidei calumnias ac blasphemias. Unde sapienter noster, (a) Incognitus dictus, super Psalmos: *Notandum*, inquit, *quod in doctrina Hæreticorum talis est processus: quia primò ad ipsam audiendam fidelibus ab Hæreticis consulitur, secundo in ipsa per frequentem audium qui habituatur, tertio quis in ipsa habituatus, aliorum perversus Doctor efficitur.* Ecce, consummata hæreseos initium est Hæretici sermonis auditus! Mirari etiam

Ad Ps. i.
v. i.

etiam ac deplorari satis non potest eorum Catholicorum levitas ac temeritas, qui damnosa adacti curiositate, magna aviditate excipiunt ac legunt libellos fermento hæreticæ doctrinæ turgidos, qui tanto numero ab Hæreticis indies quaquaversum disperguntur, hinc enim tantus Catholicæ fidei in multis languor, hinc omnis seductionis ad hæresim origo. Plurima huc spectantia adduxi in Clipeo Religionis part. 1. cap. 4. 5. 6. & 17. quare, eò remittens, caput hoc in longius non produco.



CAP. XI. HYDRÆ.

*Negligentia Prelatorum Ecclesiæ,
ac Concionatorum, nec non ci-
vilis potestatis incuria, est cau-
sa prophane novitatis, siue
hæreseos.*

Quas hætenus prosecuti sumus prophane novitatis, seu hæreseos causas, sunt velut intrinsecæ, nam insunt personis ipsis quæ prophanas novitates inducunt. Præter has autem supersunt discutiendæ nonnullæ extrinsecæ, quæ non personis quibus insunt, sed aliis ansam præbent & occasionem hæreses susci-
Ec 2 tandi